

RERUM NUPER
IN
REGNO SCOTIÆ
GESTARUM HISTORIA,

Seu verius Commentarius,

*Causas, occasiones, progressus horum motuum brevi-
ter & perspicue proponens, simul cum synopse
concordie, quantum hactenus invia est.*

Excerptus ex scriptis utriusque partis scitu dignissi-
mis, quorum primaria in Latinum sermonem
nunc primum fideliter translata inferuntur.

Addita est Ecclesiæ Scotiæ ad Helveticas reformatas Epi-
stola, quâ compendio res tota perspective exhibetur.

Per

IRINÆVM PHILALETEN,

ELEUTHERIUM.

Collegio M. Del Marobravo



DANTISCI.

Anno Domini c. I. c. I. c. xli.

Christiano & veritatis studio- so Lectori. S. P.



Roduit non ita pridem in lucem brevis
narratio motuum praesentium Scoticorum,
deducta ad Kalend. Octobris anni trige-
simi octavi post millesimum sexcentesim-
um: quacum obviis multorum ulnis acciperetur
& fidem datam efflagitarent importunius: visum
fuit eorundem motuum descriptionem continuare,
quatum ex scriptis utriusque partis scitu dignissimis
colligi posset: ut exteris rerum harum cognitione cer-
ta flagrantibus consulteretur quorum aures dubiis &
vagis rumoribus pro relatorum indole baetenus re-
plete fuerint. Quia in subitarum hoc χ εδιασμα re-
lata sunt, amicis per modum epistolarum, obvio &
sponte nato dicendi genere expedita, primitus destina-
bantur, quorum studio publici juris nunc sunt. Ru-
des commentarios, τ υμαγνων, aut collectanea, non ve-
ro justam historiam conscribere auctori institutum
unquam fuerat; neque alio quam commentarioli ti-
tulo succivam hanc operam dignam judicavit, quic-
quid typographo & amicis contra visum sit, quorum
culpam praestare non tenetur, si opus lemmatis digni-
tati usque quaque non respondeat.

Quin conatus hic diversa hominum judicia subi-
turus sit, ac plures fortasse judices & censores quam
lectores inveniet, vix dubitandum erit: aliis nimiam
festinationem & tantum non abortum incerto adhuc
pane rerum exiit damnantibus, & exspectandum
* 2 esse

HISTORIA
RERUM NUPER
IN
REGNO SCOTIÆ
GESTARVM.

VT quæstionum quibus exagitatur, & motuum qui hodie in Ecclesia & Regno Scotiæ fervent, solida habeatur cognitio; Notanda in primis sunt ipsorum causæ, occasiones, initia, & quousque hactenus progressum fit. Initia porro & causæ nequeat commodè percipi, nisi primum ostendatur, quæ fuerit Ecclesiarum Scoticarum ab initio reformatæ ibidem religionis legitima administratio, regni legibus & frequentium nationalium Synodorum constitutionibus sancta, & quibus quasi gradibus à disciplinæ puritate primitus receptæ recessum fuerit. Et quia accuratam Ecclesiæ Scotiæ historiam propediem prodituram spes est, summatim nunc ea solum tangam, quæ præsentibus controversiis lucem aliquam afferre possunt.

Perquam Deus mirabili sua dextra laboribus primorum reformatorum in Scotia, *Knoxii, Willoci, Munroi, &c.* benedixisset, religionique sue primæ Apostolica puritas restinueretur: cum omnes ex vicinorum malis experti essent, non diu conservari posse doctrinæ puritatem, nisi disciplinam Christianam ad regulam SS. scripturæ conformandi haberetur ratio; ideo omnes piorum Doctorum & aliorum conatus, eo tum tendebant, ut optima Ecclesiæ disciplina stabiliretur, Ecclesiis non minus necessaria quam murus civitati, quam castris val-

12 NOV 7

EPISTOLA

A B

ECCLESIIIS SCOTICIS

*Ad Helveticas missa, qua origo & progres-
sus motuum breviter ostenditur, usque ad
Kalendas Aprilis. 1640.*

E P I S T O L A
A B
E C C L E S I I S S C O T I C I S
*Ad Helveticas missa , qua origo & progres-
sus motuum breviter ostenditur , usque ad
Kalendas Aprilis 1640.*



Iteras vestras fratres in Domino plurimum honorandi 10 Januar. datas vertente Martio accepimus , cum Apographo Epistolæ mense ante Junio exaratæ ; ex quibus curæ esse vobis & cordi Ecclesiæ nostræ pacem & salutem percipimus , quod non modo nostræ incolumentatis ergo nos orare hortari pergitis ; sed & apud eos qui gratia , & authoritate apud Regem pollent laborem operam & studium ad nos sublevandos interponere non gravamini. Debemus & hoc humanitati vestræ , quod adversariis temere fidem non adhibendam duxeritis , qui nos etiamnum calumniis onerare , & sinistris rumoribus differre satagunt. Quibus arctissimis benevolentiae vinculis nos ita obstrinxistis , ut tanti beneficij memoriam nulla ætas , nulla oblivio delere possit.

Quod vero vos angi & cruciari scribitis tristi accepto nuncio , Regem Orthodoxum in subditos orthodoxos , eosque in sui defensionem arma parare ; atque idcirco tantorum motuum totiusque controversiae causas edoceri à nobis studiose exoptatis. Quæ quia in abdito non sunt reconditæ , sed in apri-
co positæ sollicita investigatione non egent. Malorum etenim omnium fontes in Regni hujus & Ecclesiæ perniciem redundantes ex Episcoporum nostrorum Typho tyrannide & Heterodoxia certo certius